

Vc
5056




BONA SCÆVA!
ACTUM CIVILEM SOLEMNIOREM,
EUMQUE
GEMINUM,
QVI
ALTER
SYMPATHETICUS
BEATISSIMÆ MEMORIÆ
D. JOHANNIS GE-
ORGII II.

POTENTISSIMI QVONDAM ELECTO-
RIS SAXON.
PRINCIPIS PII, PACIFICI, MUNIFICI,
ALTER
SYNCHARMATICUS
SPLENDIDISSIMÆ GLORIÆ
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI,
DNI JOHANNIS
GEORGII III.

DUCIS SAXON. JUL. CLIV. MONT.
NOVELLI SAXONIÆ ELECTORIS,
HOMINIO
GORLICH LUSATORUM
ANNO ÆRÆ CHR. clj lxxxi. PRID. KAL. MAJI,
EMINENTISSIMIS COMMISSARIIS ELECTORALIBUS
OBSEQUENTISSIMÆ PRÆSTITO,
IN
THEATRALI PEGMATE
EX PROMPTA MEMORIA
A
STUDIOSA JUVENTUTE
HUMILLIMÆ EXHIBEBITUR,
P. P.
CHRISTIANUS FUNCCIUS,
AUG. GYMNASII GORL. RECT.

GORLICH, TYPIS HÆREDUM CHR. ZIPPERI.





LECTURIS SALUTEM!



Ortem omnibus naturâ æqualem oblivione apud posteros vel gloriâ distingvi, M. SALVII OTHONIS ap. TACITUM, at quantum Scriptorem? Scriptorem nunquam tacendum, nunquam sine laude dicendum, est Sententia. Digna profectò vox Heroë: si vita quoq; ejus postremo respondisset facinori: quod ab ingenti profectum animo videri poterat: nisi scelerum conscientiam maceratum spiritum odisset potius, quam contempsisset, uno se pugionis infra lævam papillam ictu, ex tædæ & infamis vitæ tædio, trajiciens. Est ita videl. quòd, ætate jam roboratâ, Persona sua cuiq; à supremo Comœdiæ Magistro, DEO, imponatur: quam seu bene, seu malè quis gesserit, nihil planè referet. Sed, quum abeundum ex hac Scena ad plures, à justissimo hominum Judice aut præmium, aut pœna, à posteris laus aut infamia in vita functos migrabit. Et DEO quidem placabilis ac remissa offensarum esse solet memoria: si seridò, dum adhuc in via sumus, doleamus. Eho verò, quò placabilior DEO, eò pertinacior hominibus eadem est memoria! Tam pertinax nempe offensarum memoria est hominibus: ut, etiamsi emendata fuerit culpa, illi commissorum tamen meminerint, ac subinde eorum recordentur. Quodsi Exempla nonnemo heic desideret: is omnium Seculorum testem Historiam adeat, inq; consilium hanc advocet, jubeo. Falsus sim: nî ordine quodam ipsa referet: & quorum adhuc cineres atq; ossa posthumâ laude fruuntur; & quorum vel omnis memoria atq; nomen invisum. Semel Trajanus vixit, Orbiq; Romano bene præfuit, exemplò suo universo Terrarum Orbi probans, non præstabilius, neq; pulcrius Cœli munus casto & sancto Deoq; simillimo Principe esse. Ideoq; nunquam ejus intercidet gloria: nunquam civile illud ac senatorium OPTIMI cognomen, quod peculiare Principis hujus ac proprium priorum Principum arrogantia fecerat, intercidet. Nec deerunt Plinii: qui, quicquid laudum in Trajano contigit, fideliter congerant, ac memoriæ prodant. Non Flacci item, non Marones deerunt: qui, quicquid laude dignum Octavius Cæsar Augustus gessit, indefinenter canant: etiamsi ille semel in Orbe vixerit,

Amicus,

*Amicus, Hostis, Tutor Urbis & Terror,
Parens & Ultor, Marte magnus invictus,
Sed pace major, & Tribunus & Consul.*

Malum ex adverso Imperatorem semel egit Nero, h. e. suo tempore, nec ultra læviit, ex sceleribus suis & parricidio notior Imperator: quam ut memorari debeat. Æternum igitur pessimus atq; intestabilis audiet: qualis & ap. *TACITUM* suum audit. Semel item malum Imperatorem Domitianus egit, i. e. vi dominationis convulsus & mutatus, ut *TACITUS* loqui amat, suo ævo in monstrum hominis degeneravit, acerrimus Christianorum hostis factus, multos & ipse nobilissimos Viros è levissima causâ vel occidens, vel in exilium mittens. Malè hinc ipse semper audit, audiens ipse passim in castigatissimo Plinii Panegyrico malè, malè & ipse apud posteros auditurus: æq; ac Caracalla, furiosus & ad omnia præceps homo, virtutis & illustrium Virorum hostis, bonis exitiosus, cædibus assuetus, in milites prodigus, *Φίλαυτος*, rapax, nec à fraternis Manibus abstinens, vitiis suis omnibus glorians, terribilis deniq; Princeps, in insignibus *PEIRESCII* Fragmentis malè audit. Ita scil. de illis ante Nos Scriptores judicant, judicamus & nos ipsi modò, nihiloq; minus nostri, si qui futuri sunt, posteri judicabunt: sed dicent alii idem de nobis. Nec referet, plerosq; à magna fortuna, quam acrius ut plurimum & alacrius fama, *fama malum*, quò non aliud velocius ullum, aculeato stylo suo pungit & lancinat, remotiores esse. Neq; enim his garula fama parcit. Imò invidiosius nonnunquam cum his agit, quam cum Diis Terræ, multa in illis excusans, leniens, silens: dum nos, quicquid melius pejusve agimus, id egisse unum dicimur. Quum itaq; summa quædam ingentis sit felicitatis, & vixisse bene inculpateq; & sui posteris reliquisse memoriam, quæ in vita evitatos etiam retineat: ita vivamus necesse est: ut in vita non tantum optime audiamus; sed & post mortem cum laude in omnium Bonorum ore versetur. Quamquam verò morum integritas atq; innocentia quemvis, cujuscunq; ipse in civitate sit caveæ, ab interitu facile vindicent: illi tamen maxime immortales sunt: qui & sibi & aliis vixerunt. Vixit omnino, quem summus rerum humanarum Arbiter factorumq; Moderator regundis nostris Terris per annos XXIV. singulari munere impenderat, expleto verò feliciter gloriosi regiminis cursu, superiori annò ad æterna transtulit præmia,

JOHANNES GEORGIUS II.

Serenissimus quondam ac Potentissimus Saxonie Elector, cum laude Sibi: vixit Aliis. Deo vixit: Patriæ civibus vixit: vixit Sibi Suxæq; gloriæ. Imò & semper ac propius sic victurus esse videbatur: qui

inter seniles annos & exhausti molestias corporis, & paucis jam tot rerum humanarum casibus vitalem vitam, sui auctoris voluntati Cœloq; permissus, æternitate supra ævum beatus, Electoralium meritorum honore cum omni ævo superstes, humani voti mensuram prorsus impleverat. Sibi nempe suæq; gloriæ vixit: dum super alias atq; alias virtutes Pietatis maximè operibus gloriam famæ suæ auxit. DEO vixit: dum ejus cum laude in nostris Terris gessit personam, operasq; & ipse laudabiliter vicarias suas præstitit. Civibus patriæ vixit: dum non solum benignum se ac liberalem imbelli illorum ætati, quorum opera industriaq; vigentibus annis usui sibi haut parvo fuerat, largiter probavit; sed in cæteros quoq;, qui circa ipsum atq; à latere veluti erant, quiq; à latere plane non erant, in literarum item Cultores æq; ac Doctores, in miseros temporumq; casibus fortunis suis evolutos, in exules ab Hungaria aliosq; extorres, fovendo, solando, inopiæ intercedendo & vincendo fortunam, ipem insuper erigendo meliusq; fatum circumdando, bonitatis suæ dispensavit munera: imò in omnes simul, præprimis in Cives suos, copiosissimè illa dispersit, parentis omnium nomen mereri se haut posse ratus: ni optimè de omnibus mereretur, idq; perpetuò cogitaret ac subinde ageret, eòq; & ipse contenderet: ut in pace & tranquillitate semper florentes Sui degerent. Atq; sic quidem, quum B. M. Princeps aliis quoq; post DEUM tã bene vixerit, ut vix melius vivere aliis alii Principes soleant, injurii profectò ingratiq; erga tanti Principis Manes essemus: si in hoc ipso Augusto ad Nissum Gymnasio non item memoria ejus quoquo coleretur pariterq; & augetur modò. Alemus proinde Nos crastini die, atq; eò, quò possumus, modò *BEATISSIMI PATRIS PATRIÆ* memoriam augebimus. *SYMPATHETICO* nempe, vel ex parte etiam *PARENTALI*, Actu id *DIVIS Serenissimi quondam atq; Potentissimi Principis ac Domini, DNI JOHANNIS GEORGII II. Ducis Saxon. Jul. Cliv. Mont. S. R. I. PRÆTORIO PRÆFECTI atq; ELECTORIS, &c. Principis ac Domini nostri, quoad in vivis esset, longè Clementissimi, MANIBUS* humillimè præstabimus, *EXERCITIIS* quibusdam *ORATORIIS* ac *POETICIS*, cum in *LATINA*, tum in *VERNACULA* nostra *LINGVA* Memoriam optimè de Patria meriti Principis piissimè veneraturi. Quoniam verò deploratum hunc *SOLIS VETERIS* occasum diu speratus *NOVI SOLIS* ortus in Terris nostris è votò excepit: simul & *SYNCHARMATICO* quodam seu *GRATULATORIO* Actu, qui priori illi illicò subordinetur Actui, alterum publicæ Pietatis nostræ officium expeditum ibimus, novis *Serenissimi & Potentissimi Principis ac Domini, DNI JOHANNIS GEORGII III. Ducis Saxon. Jul. Cliv. Montium, Novelli S. R. I. PRÆTO-*

PRÆTORIO PRÆFECTI atq; ELECT. &c. &c. Principis Nostri hodiè ac Domini Indulgentissimi, Honoribus, Honoribus Electoralibus, post HOMINIUM, non ita pridem SERENISSIMI Nostri NOMINE à Splendidissimis Commissariis Electoral. Generosissimis nempe & Excellentissimis Dominis, DNO CHRISTOPHORO Bisthum ab Eckstât / Toparchâ in Zahmen / Dürrbach / Klieten & Eselsberg / &c. Sereniss. Elect. Saxon. Consil. & Provinciali Lusatiae Sup. Capitaneo, DNO item Gottlob Ehrenreich à Gersdorff / Toparchâ in Raupen & Zeschebau / &c. Sereniss. Elect. Saxon. Consil. & Supremo Lusat. Sup. Prefecto, non ita pridè in incluta hac Urbe felicissimè acceptû, submississimè velificaturi. Et quidni hoc ipsum quoq; crastini Die Exercitiis quibusdam Gratulatoriis à nobis solemnisimè fieret? Coronavit namq; feliciter tandem vota nostra eventus: quumq; rarò Nervæ succedere soleat Trajanus h. e. Bono Optimus; Antigonum verò sæpius refodere penè cogantur, Antigono deteriolem nacti, mortales, digniori intereà temporis, qui succedat, non aliter exoptatò, ac post hyemem ver atq; æstas exoptari siveit: Optimo Parenti ex voto Optimus successit Filius. Successit forte nascendi Princeps, par summis Germaniæ nostræ Principibus audire meritus: ut eligeret audire non impar Optimis, OPTIMATIS ab hoc Optimi cognomento in se nomen & gloriam in Christianorum Principum Choro derivaturus. Ergo, quod unum heic superest, eâ nunc, quâ par est, reverentiâ oro, rogo, obsecro, obtestor: ut, quivivi tenorem hunc lecturi sunt, cujuscunq; etiam Ordinis, Conditionis ac Status sint, seu supremæ, seu mediæ, seu imæ sint Caveæ Viri, candidi modò & æqui utriusq; nostri conatus Censores existant, *cras, Ἐν τῷ θεῷ εἰπεῖν, Hora matutina VII.* per trihorium animis lingvisq; fautori, in Superiore Isæi nostri Auditorio compareant, atq; frequenti præsentia suâ CIVILEM nostrum, eumq; geminum, SYMPATHETICUM nempe & SYNCHARMATICUM, ACTUM ornent. Id namq; non solemnitas tantummodò utriusq; Actus postulat; sed & ipsa cum in beatissimè defunctum Principem ac Dominum nostrum, JOHANNEM GEORGIUM II. Patrem Patriæ olim Pium, Pacificum, Munificum, tum in superstitem nobis unicum illius Filium, JOHANNEM GEORGIUM III. Novellum Saxon. Electorem, Principem ac Dominum Nostrum longè Clementissimum, Patrem Patriæ hodiè Pium, Pacificum, Magnanimum, Pietas jubet. Ne dicam: quòd Auditorium frequens humillimum, quò omnes SERENISSIMO Nostro obstricti tenemur, exigat obsequium: exigat ipsum, quò Indulgentissimo Patri Patriæ nuper præstitimus, Hominium. Nec & injucunda auscultatio hæc erit. Ut enim acris hyems gratâ veris & favonii vice solvitur: ita nihilo secius Exercitiorum

B

Civilium

Civilium, quæ audientur, vicissitudo omne aurium solvet, vel penitus etiam gratâ tollet varietate tædium. Vos modò PATRONI, Vos FAVORITES, Vos AMICI, Viri omnium Orâd. Honoratissimi, eras, Θεῶν δίδωλος, dum

———— clarum mane fenestras

Intrat, & angustas extendit lumine rimas,
frequentes adeste! Adeste, Vestram ut beatissime defuncto, ita vivo PATRI PATRIÆ, Principi ac Domino nostro Clementissimo, Pietatem, vestrum Eidem obsequium publice probaturi! Adeste & ipsi, gratâ ACTUS nostri GEMINI vicissitudinem auscultando experturi, Næ nos id dabimus operam: ut, si proni hac in parte petito velificaveritis, non frustra id fecisse videamini; sed satis abundè potius intelligatis, Vos pronitatem hanc ap. nos non in sterili ingrataq; ut cum veteri Pœta dicam, segete obsevisse. Dab. cursim GORLICIJ LUS. ipsis Junii Kalendis Anno clj lsc LXXXI.

PERSONARUM ac RERUM
ACTUS CIVILIS GEMINI
ELENCHUS.

Audientur

ACTU SYMPATHETICO

I. CHRISTIANUS Kanisch | Gorl. Lus.

PROLOGUS, ad Legem quondam XII. Tabb. de honoratorum Virorum laudibus in concione memorandis dicturus, atq; Theſi deinceps ad Hypothesin translata, dicturis faventiam à venerabili Auditorio conciliaturus.

II. GEORGIUS Ermel | Cala-Lus.

FUNEBREM INSCRIPTIONEM Serenissimo quondam ac Potentissimo Electori Saxon. JOH. GEORGIO II. Duci Saxon. Jul. Cliv. Mont. &c. Patri Patrie, quum in vivis esset, Indulgentissimo, ex Argutiarum Arte dicturus, inq; ea præcipuas tanti Principis laudes memoraturus.

III. CHRISTIAN. GABRIEL Funcke | Freib. Misn.

Oratione Germanica potiores ejusdem Principis laudes dicturus, simulq; & obitum illius atq; ad plures abitam, lugubri hac voce, PAN MAGNUS MORTUUS EST, adhibitâ conqvesturus, bene deniq; post breviter dictam Consolationem, Serenissimo Successori precaturus.

IV. OPT. JOSIAS SANUS, Schönberga-Lus.

LESSUM Heroico Carmine facturus, inq; ejus sine Novello Saxon. Elect. humillimè gratulaturus.

V. MI-

V. MICHAEL Wiedemann | Lauba - Lus.

in Gloriosissimæ Memoria Electore, JOH. GEORGIO II. PACIFICUM ANIMUM eleganti Pœmate Teutonico laudaturus.

ACTU SYNCHARMATICO

audientur

I. VVIGANDUS Møller | Gorlic. Lus.

INTERLOCUTOR, animos Commilitonum, quotquot in Palastra Orat. sequentur, à luctu publico ad publicum plausum sermone Latino revocaturus, ipseq; & eosdem moniturus: ut paulatim se ad devotissimè gratulandum, cum Magno Magni Parentis Filio, JOHANNI GEORGIO III. Novello Saxonie Electori, tum Magno Magni Avi Nepoti, JOH. GEORGIO IV. Novello Electoratus Saxon. Heredi, gratulaturi, componant.

II. SAMUEL Schulze | Sora - Lus.

admodum arguta Inscriptione Saxoniam METEMPSTYCHOSIN, qua in Beatissima Memoria Elect. JOH. GEORGIO II. Virtutibus nempe ejus in unicum Fil. Serenissimum & Potentissimum Principem ac Dominum, DN. JOHANNEM GEORGIUM III. Ducem Saxon. Jul. Cliv. Mont. S. I. R. Prætorio hodie Præfectum & Electorem, &c. Principem ac Dominum nostrum Clementiss. feliciter transfusus, Anno clc lcc LXXX. XXII. Aug. St. V. contigit, Fama garrula enarraturus, dignisq; & laudibus eandem celebraturus.

III. CHRISTOPH. Popig | Cunavia - Lus.

Beatissimum quidem Opt. Saxon. Elect. JOH. GEORGII II. obitum in politissimi Pœmatis sui Germanici limine collucturus, sed mox se à luctu revocaturus, inq; laudes cum NOMINUM, tum NATALITIORUM Novelli Electoris, JOH. GEORGII III. INSIGNIUM descensurus.

IV. MICHAEL Wiedemann | Lauba - Lus.

argutâ Inscriptione, cui scribendæ Solis, quadrigis vecti, Emblema Belg. cum Lemmate, ILLUSTRABIT OMNIA, occasionem dederat, Novello Saxonie Electori, JOH. GEORGIO III. de Electoralibus Honoribus submississimè gratulaturus.

V. JOHANNES Wunderlich | Gorl. Lus.

politâ Oratione Germ. Optumi Parentis, Parentis Beatissimi, JOH. GEORGII II. Exemplum Optumo Filio, Filio Felicissimo, JOH. GEORGIO III. ob oculos positurus, atq; deinceps tanto Principi Electorales fasces, quos, Hominiò à totidem Civibus præstito, feliciter haut ita pridem firmavit, cum debita animi submissione gratulaturus.

VI. CHRISTIANUS Heyme | Bischoffswerda - Misn.

Commilitonibus se in hoc publicæ Pietatis officio juncturus, humillimeq; inter latos animorum plausus cum Angliæ Civibus aureum lilium & gladium, aureas lances, filios & pueros, sertum deniq; rutaceum oblaturus. Nec verè nudè dona hæc, sed quodlibet cum certo suo Lemmate, offeret.

VII. HENR.

FK 96 5056

VII. HENR. ANSHELMUS à Ziegler / Egv. Luf.

Eleganti Oratione German. Patriæ de latissimo NOVI SOLIS exortu gratulatum iturus, inq̄ eo ipso, præter quamplurimarum Virtutum radios, septemplicem SINCERISSIMI AMORIS radium commendaturus, tandem & optima quæq̄ tam, ILLUSTRIO RBIS NOSTRI SOLI precaturus.

VIII. JOHANNES CASPAR à Spiller / Egv. Sil.

Brevi Oratione Latinâ idem Pietatis & obsequii humillimi Officium præstaturus, sed inter obortas hæc Dignitatis Electoralis gaudia dubitaturus ipse: Serenissimo Principi ac Domino nostro honores, quos post Serenissimi Parentis fata sorte nascendi feliciter adiit; an honoribus iisdem tantum Principem gratulari fas sit?

IX. JOH. DAVID Kotsch / Gorl. Luf.

Oratiunculâ German. omnem cristiciam Auditorum animis abstersurus, ipseq̄ & deinceps Novello Sax. Electori Latimorum illud VIVAT acclamaturus: VIVAT, VIVAT NOVELLUS ELECT. SAX. JOH. GEORGIUS IH. PATER PATRIÆ PIUS, AUGUSTUS, FELIX!

X. Gottlob Steinbach / Gorlic. Luf.

Oratione Latinâ singularem animi sui lætitiã expressurus, inq̄ ipsâ illius magnitudine augustissimam Electoralis Dignitatis Hereditatem, quam fausto omine adiit, Serenissimo Principi ac Domino, DNO JOHANNI GEORGIO IV. Duci Saxon. Jul. Cliv. Mont. &c. Teutonice Juventutis Principi Celsissimo, humiliter, pro data atq̄ nata commodâ hæc occasione, gratulaturus, æq̄ ac nomine Commilitonum omnium precaturus: ut junior hic Princeps in novella sua dignitate, per Serenissimi Patris Aviæq̄ grassaturus exempla, in sapientissimum simul fortissimumq̄ Principem inter literarum virtutumq̄ studia salvus & incolumis adolescat.

XI. JOH. FRIDERICUS Tibe / Gorl. Luf.

EPILOGUS, Oratione Latina Utriq̄, Actui colophonem impositurus, quumq̄ rebus hac dubium visum fuerit, majoremne ex Optimi Principis excessu dolorem, an majus è novis imperii secundi auspiciis capere solatium oporteret, par serè & æquum fuisse, ut paria à Juventute studiosâ Augusti hujus Gymn. fierent, ipsaq̄ in Palæstra Oratoriâ utroq̄ munere fungeretur, dicturus ipse, simul ac Vota tandem, quæ viro Principi totidem verbis humillimè nuncupata, Formulâ hac obsignaturus: Dignam tanto Principi, si non vocabulo ac nomine, re ipsa tamen & facto FRIDERICO, PIETATEM DEI è Cælo confirmet BENIGNITAS!

Accedit

extra Ordinem

CALIXTUS Buschhor / Forsta-Luf.

sed ALIO audiendus cum DEO DIE: Die nempe XXII. Aug. quæ Serenissimo & Potentissimo Saxon. Elect. JOH. GEORGIO II. Freiberge Hermund. emortualis erat, benevolè audiendus. Ecce enim ille domi, Justa sua Divis Manibus Gloriosissimæ Memoria Electoris ac Principis facturus, Parentalem Orationem Germanicè conscripsit, nobisq̄ emendandam obtulit: quæ ipsa quidem I. digna Principis defuncti collaudatione, II. sincera doloris contestatione, III. pia Illustrissimæ Famil. Saxon. consolatione, tanquam precipuis ac potissimis suis Capitibus, absolvitur.



HE

no ipso,
adium
SOLI

inter
omino
oribus

s No-
LLUS
UGU-

augu-
incipi
Teu-
gra-
vella
for-

c du-
novis
ntute
retur,
cupa-
ine,
met

oen-
rvole
ecto-
dans

ULB Halle 3
004 824 385


WMA





H. 4/16.

Vc
5056

BONA SCÆVA!
ACTUM CIVILEM SOLEMNIOREM,
EUMQUE
GEMINUM,
QVI
ALTER

SYMPATHETICUS
BEAT
D. JOH
S GE-

POTENTIS
PRINCIPIS
SY
SPLEN
SEREN
LECTO-
ANIFICI,S
RIÆ
MI

DNI
GE
DUCIS SA
NOVELLI
ANNIS
III.
MONT.
CTORIS;

GOR
ANNO ERÆ CI
EMINENTISS
OB

CHRISTIANUS PUNCCIUS,
AUG. GYMNASII GORL. RECT.

GORLICI, TYPIS HEREDUM CHR. ZIPPERI.

